


OFFICIVM
S. ROSÆ VIRGINIS VITERBIENSIS, ORDINIS S. FRANCISCI.

A Sac: Rituum Congregatione recognitum, & approbatum.

DVPLEX MAIVS.

Recitandum ab Vniuerso Clero Viterbiensi Sæculari & Regulari, & ab vniuerso Ordine Minor: de Obseruantia S. Francisci vtriusque sexus, iuxta formam retroscripti S. Rit. Congreg. decreti. die 6. Martij & 4. Sept.

ORATIO.

DEus, qui Beatam ROSAM, Sanctarum tuarũ Virginum collegio aggregare dignatus es: tribue nobis, quæsumus, vt eius precibus, & meritis, à culpis omnibus expiemur, & tuæ Maiestatis consortio perfruamur æterno. Per Dominum nostrum, &c.

Ad Mat. in 1. Noct. Lect. de Epist. ad Corint. De Virginibus.

Lectio iv.

ROsa Viterbij, pijs Parẽtibus nata, ab ipsa infantia, omni virtute enituit, facta perfectionis Magistra, cum vix loqui didicisset. Mundi exosa vanitates, rudi amictu, pedum nuditate, cilicio, ieiunijs, alijsque austeritatibꝰ, corpusculum affligens, diuinæ cõtemplationi iugiter vacabat. Hanc verò eximiam sanctitatẽ, insigni miraculo Deus testatam voluit; nam adhuc puella, auunculam defunctam ad vitam reuocauit. Ad Virginitatem, quàm perpetuo coluit, solo aspectu, intuẽtium animos excitabat. Charitatis erga pauperes studiosissima. Cum aliquando hyberno tempore subtractum sibi panem clã illis deferret, patre imperãte vt proderet, quid gremio absconditum ferret, panis in rosas cõuersus est.

Lectio v.

CVm septimũ explesset annum, solitudinis desiderio flagrans, domꝰ suæ angu-

angustam cellulam elegit, cui se tanquam voluntario carceri inclusit, orationi, corporisq; castigationi, ardenter incumbens, Dei clementiam deprecabatur pro sanctæ Ecclesiæ tranquillitate, quam Friderici secundi Imperatoris impietas acerrimè diuexabat. E diuturna autẽ maceratione, in morbum lethalem incidit, in quo Beatæ Virginis visitatio recreata, habitum Tertij Ordinis S. Francisci induere iussa est. Decennis à Deo inspirata, pijs adhortationibus, validisq; argumentis multos hæreticos ad fidem, & obedientiam Romani Pontificis reduxit. Qua de causa, cum tota cognatione sua in exilium eiecta, ad vicina oppida venit, vbi Friderici mortem, & Ecclesiæ pacẽ prophætico spiritu prædixit. Mulierem cæcam à natiuitate illuminauit, & ad fidei veritatem astruendam, succẽsum rogum ingressa, ac tribus horis in eo illæsa permanens, cuiusdam hæreticæ mulieris peruicatiam vicit, eamq; cum alijs ad fidem conuertit.

Lectio vj.

TAndem Viterbium summa Cinium gratulatione reuersa, in consortium Sanctimonialium S. Mariæ de Rosis admitti petijt, sed illis ingressum ob puellæ inopiam deneganti bus, se mortuam in eo Cænobio commoraturam, prædixit. Mox ad pristinum domus suæ carcerem regressa, cum in ea duobus annis permansisset, morbo correpta, & ad beatam patriam suspirans, meritis plena, migrauit ad sponsum, decimo octauo suæ vitæ anno nõ dum exacto. Corpus eius miro splendore illustratum, suauique odore perfusum, in Tẽplo Sanctæ Mariæ de Podio, effossa humo, ac desuper ingesta, tumulatum fuit, donec post triginta circiter menses, ab Alexandro Quarto tunc Viterbij sedente, & in somnijs ter ab ea admonito, refossum, & corruptum repertum, pridie nonas Septembris, ad præfatum Monasterium, quod postea S. Rosæ nuncupatum est, solemniter translatum fuit, vbi vsq; ad hodiernum diem integrum, & flexibile, summa totius Orbis admiratione, asseruatur, & nouis semper miraculis coruscat.

In III. Nocturno. Hom: *S. Gregorij.* Simile erit Regnum Cælorum decẽ Vir: *Missa,* Dilexisti. *Die 6. Martij Duplex. Officium vt supra die 4. Septembr: Festum Transl. 9. Lect. & com. Feriæ.*

Si vero venerit extra tempus Quadragesima, Lect: primi Noct: erunt de script: occurr.

Ad Vesp. à Cap. de S. Thoma Aquinate.

FINIS.




J